TENTAMEN
PHYSICO-ANATOMICUM
INAUGURALE,

QUÆDAM DE

HOMINIS

ÆTATE INFANTILI ET PUBERTATE

COMPLECTENS.

Auctore — Gordon. jun.

PROŒMIUM.

OMNIUM animantium Homo princeps existit; operum DEI Omnipotentis supremus; catena fortasse inter alia animantia, et ea naturæ magis divinæ.

Ille solus ad cœlum spectat; ille solus se tueri possit, vi facultatum eximia, casibus, qui-

 bus

bus ejus imbecillitas, et sensuum inferioritas obnoxium redderent: ille solus ratione reficere possit defectus ethicos in natura sua insitos.

"What a piece of work is Man! how noble in reason! how infinite in faculties! in form, and moving, how express and admirable! in action, how like an angel! in apprehension, how like a God! the beauty of the world, the paragon of animals!"

Homo non in eadem classe cum Simia aut Vespertilione ponendus est, ut propositum fuit, a quodam celeberrimo naturæ philosopho*; facultates eum longe supra hos elevant: figura ejus fortasse sat est ab omnibus aliis distinguere; sic definitur:

"A naked animal with two hands, and two feet, who walks upright, is capable of reason, and susceptible of civilisation."

Dotes nostræ propriæ, nos omnibus animantibus superiores reddunt; organorum complicatio, in eadem ratione cum nostris muneribus auget, et æque facultates amplificat.

Hominis naturam et facultates ample describere, eum apud clarissimum Buffon, nunc mortuum,

---

* Linnæus.

mortuum, ex primo momento existentiæ invisæ per varia vitæ stadia sequi esset, donec mors omnia devorans vitæ cursum terminat;—et longius, inde ejus reliquias ad sepulchrum persequi,

"Where everlasting silence reigns;"

ibi mutationes quæ accidunt

"To such a work as Man"

observare, qui, vita extincta, brevi tempore, ex Domino hujus mundi, vermibus vilissimis cibus fit, a quibus nulla fuga est, donec humanis oculis postremo evanescit;—conatus nimis arduus in præsenti esset; sed via "ad "summos Medicinæ honores" aliquid hujusmodi requirente, conabor, "Numine Fa-"vente," de hominis Ætate Infantili et Pubertate pauca dicere.

CAP.

CAP. I.

DE ÆTATE INFANTILI.

ÆTAS infantilis dici potest ea portio vitæ, quæ ad partum incipit, et cum animal suis viribus se conservare potest sine ope parentum terminat.

Quod tempus utcunque omnibus animantibus commune, quoad magnitudinem et longevitatem animalis multum variat.

Multum diutius in Elephante, Rhinocerote, compluribusque animalium magnorum permanet; quam in Cane, Fele, Vulpe, Mustela, et multis aliis, in quibus cito peracta est; vel in minimis, sicut Sorice, Porcello Indico, multisque aliis, quorum ætas infantilis paucis hebdomadis terminat.

Hæc portio vitæ brevissima in Avibus et Piscibus est.

Hæc

Hæc conditio dici potest multo longius manere humana specie, quam aliis animantibus, quippe quæ maximam curam exigat: et quamvis valde imbecillis, quoad debilitatem, multum exaggerata fuit: "L'Enfant," dicit BUFFON, "est dans ces premiers temps plus "foible qu'aucun des animaux: sa vie incer- "taine et chancelante parôit devoir finir à "chaque instant; il ne peut se soûtenir, ni se "mouvoir, à peine a-t-il la force necessaire "pour exister, et pour annoncer par des gé- "missements les souffrances qu'il eprouve, "comme si la Nature vouloit l'avertir qu'il "est né pour souffrir, et qu'il ne vient pren- "dre place dans l'espèce humaine que pour en "partager les infirmités et les peines."

Hæc descriptio, quamvis facta ab uno optimorum historiographorum naturæ qui unquam vixit, fortasse nimis contempta est solummodo ætati infantili humanæ generis applicari: Primo, homo in lucem accedit oculis apertis, statimque videt, ex quo multum fortasse delectationem ducit; facultas nihilominus visus nonnullis quadrupedibus, et avibus nega-

tur

tur per multos dies; nonnunquam post partum, per complures hebdomadas, quod quotidie in multis domesticis animalibus videmus.

Homo, in hocce exemplo itaque, non dici potest *unice inops*, potius *unice fortunatus* existimandus est; progenies hominis, æque ac illa aliorum animantium, certe alimentum capere et rejicere, atque respirare potest.

DE FORMA INFANTUM.

Infantes, ad partum, multum forma variant: alii magni sanique, dum alii parvi, debiles, et male formati sunt.

Cum infantem spectemus, magnitudo capitis, cum corpore comparati, valde conspicua est: Figura faciei plana est, pulsusque fontanellæ perspicue in frontem apparet: nonnullis exemplis caput capillis non parum obtegitur. Post partum capillos semper fuscos esse dicunt; hoc autem non semper constat, quoniam alios recentes infantes, capillis nubilis, et alios subalbidis, quotidie videmus: capilli infantum cito decidunt, capitibus infantum species

cies furfuris fere semper adest; sed ex his emundatis, gradatim decidit, et cito evanescit.

Capilli si nubili sint plerumque recti, et plani videntur; sed hoc non semper tenet; nam in Africanis, multisque aliis barbaris, capilli quamvis nigerrimi, semper et breves, et instar lanæ sunt. Sin autem subfusci coloris sint, crispi plerumque fiunt. Infantibus color oculorum varius est; iis nitidi vultus, oculi cœrulei, cæsii vel subcœrulei: aliis fusci, vel coloris coryli; nigri autem rarissime videntur. Hi temperamentum melancholicum, illi sanguineum denotant.

Extremitates plerumque nimis obtusæ sunt: hinc formam tumidam, aspectumque gravem habent, nihilominus, nil pulchrius quam infans sanus et formosus videri possit: Forma, hac ætate, non ex æqualitate partium, aut ex æqualitate vel pulchritudine faciei, pendens; sed ex plenitudine corporis, ex anima, et vigore.

Infans solum itaque dici potest imperfectus, cum per regulas partium consensus aspiciamus; nam quid pulchrius quam infantem

Herculem

Herculem serpentes interimentem a celeberrimo REYNOLDS, intueri:

"And, when he was a babe, a child, a shrimp,
"Thus did he strangle serpents in his *manus*."

Cutis infantis recentis, aspectum coagulatum ostendit, qui ex aqua amnii pendet, infanteque loto, (quod fere ubique gentium factum est, cum in mundum venit), cito evanescit. In hac regione, aqua tepida circiter ex 96° ad 100^{m} gradum de FAHRENHEIT utimur.

Lapponici, Indi Americani, et multæ aliæ gentes, infantes suos recentes in aquam frigidam emergunt.

Infantibus lotis, rubrum villosum colorem cutis, ex magna vascularitate, induit.

DE INFANTUM MAGNITUDINE.

INFANTES variant a 16^{m} ad 20^{i} pollices longitudine; pondere, a libris (℥xvi. ad lib.) 8o ad 12^{m}, quamvis nonnunquam ad 14^{m} libras perveniunt; et HAMILTON noster, in suis præ-

lectionibus

lectionibus narrat, se exemplum scivisse, ubi pondere usque ad lib. xv. et ℥vii. infans erat.

Mares fœminiis plerumque majores gravioresque sunt: quippe quod dictum, quodam celebri in arte obstetrica, duodecim mares, ejusdem ponderis cum tredecim fœminiis, inventos fuisse.

MUTATIONES AD PARTUM.

Mutationum, quæ ad partum eveniunt, respiratio maxime insignis ducenda est, quæ æque necessaria est homini, ac aliis animantibus: hæc functio per totam vitam durat, et solummodo ad mortem terminat.

Infans utero expulsus caput elevat, (quod adhuc in sternum inclinaverat), et hoc modo trachea multo rectior fit: aër mox intrat, paullulum autem impeditus, ex materie mucosa viscida in trachea, quæ, si non adsit in magna quantitate, cito absorbetur, vel si in majore, expuitur. Cellulæ pulmonum, quæ antea collapsæ fuerant, nunc aëre implentur.

Hæc actio *inspiratio* vocatur, quæ pectus elevat atque amplificat: expulsio aëris quæ consequitur, et qua thorax evacuatur, et deprimitur *expiratio* vocatur.

Quum respiratio incipit, circulatio sanguinis magnam mutationem subit. In fœtu modo sequente absolvitur:

Sanguis arteriarum uteri, portione materna placentæ collatus, per umbilicum fœtus per venam umbilicalem transit, ut in jecore moveatur: vena umbilicalis jecur ingressa, venam portæ jungit, cui tradit sanguinis partem ejus maximam, ut per illud viscus deferatur: etiamsi portionem sanguinis ejus a minore ramo *ductu venoso* ut vocatur, ad venam hepaticam transmittit, quæ recte in cavam ascendentem transit, ex qua in *auriculam dextram* cordis effunditur, cujus contractione partim per *foramen ovale* ad *auriculam sinistram* propellitur, partim in *ventriculum dextrum*, ex quo magna parte per *ductum arteriosum*, in ore *arteriæ pulmonalis* situm, in *aortam* immittitur.

Portio tamen cursum illum evadens per *arterias pulmonales* transit, unde per *venas pulmonales* in *auriculam* cordis *sinistram* reducitur: ubi

ubi cum sanguine ex *auricula dextra* per *foramen ovale* fluente miscetur, dein in *ventriculum sinistrum* transit, ex quo, in diversas corporis partes per *aortam* immittitur; denique sanguis in *iliacas arterias* advectus, per eas ad *arterias umbilicales* dein in *portionem fœtalem* placentæ, reducitur.

Infante nato, cursus sanguinis per *placentam* penitus negatur; viam autem novam, vel faciliorem, per pulmones *recenter dilatas* invenit, quæ "ad summam vitæ" permanet. Paucos post menses, vel saltem in spatio anni post partum, *foramen ovale* in corde clauditur, et *ductus arteriosus* gradatim evanescit, dum, ad umbilicum, *fune* ad partum ligato, et sanguinis reditu ita prohibito, rami *venæ umbilicalis* cito clauduntur, etiam ac arteriæ quæ in ligamenta vertuntur.

Cursum sanguinis, qui ad partum incipit, describere non possum melius aut elegantius quam in verbis nostri celeberrimi Gregory.

"Sanguis ab omnibus corporis partibus redux, in "*sinum venosum* et *auriculam dextram* cordis transit; "hanc distendit, stimulat, et ad contractionem ciet: *auricula* se contrahens, sanguinem *ventriculo* dextro tra-

"dit;

"dit :hic vero, pari ratione distentus et irritatus, se
"contrahit, sanguinemque in arteriam *pulmonalem*
"impellit, cujus ramis per utrumque pulmonem transit.
"Ab eo reducitur venis *pulmonalibus* in *sinum* et *auri-*
"*culam* sinistram, cujus contractione in *ventriculum*
"ejusdem lateris propellitur.

"Hoc demum se contrahente, sanguis insigni vi
"ejicitur, et in aortam immittitur, cujus innumeris ra-
"mis ad omnes corporis partes defertur, per venas so-
"dales in *cavam* et auriculam dextram cordis denuo
"reducendus."

Dum de respiratione et circulatione loquimur, pauca de pulsu ætatis infantilis dicamus: Hic, ut Dr Monro recte observat, multo celerior est quam in adulto in statu sano.

Infantis primo anno ætatis, pulsus ex 100 ad 120 micat sexagesima horæ parte: dum infans dormit, adhuc celerior pulsus arteriarum est: sæpe usque ad micationes 120 vel 135 eodem temporis spatio.

Celeritas autem pulsus, gradatim imminuit, quoniam ad quartum ætatis annum solummodo ex 90 ad 100 vacillat; ad pubertatem, pulsus est circiter a 70 ad 80,

"My pulse, as yours, doth temperately keep time,
"And makes as healthful music;"

dum

dum in senectute haud raro ad 65 cadit. Infantes, sicut omnes alii parvi animantes, plus caloris quam adulti continent, quod facile ex aucta vi cordis et arteriarum explicari possit.

Infans, cum in lucem prodit, paullulum urinæ sæpe expellit, et etiam *meconium*, sive materiam fœculentam quæ generata fuerat, dum in utero jacuit.

Hæcce materies calore corpori admoto, multo citius evacuatur; color ejus furvus est, paucis autem diebus, subflavus fit, ex quo inferri solemus, bilem cum rebus in canali intestinali contentis misceri incipit.

DE CIBO INFANTUM.

Paullo post partum, infans primum cibum ingerit: in hac regione, plerumque ex parva quantitate sacchari, nondum fæcibus purgati, in paullulum aquæ tepidæ soluti, constat, quod præcipue ad alvum purgandum datur, et cui lac maternum cito anteponitur.

Cibus

Cibus autem infantum non in omnibus regionibus idem est *. In hac regione lac maternum plerumque solum est nutrimentum, donec ad hebdomadam octavam pervenerit infans; et tunc paullulum panadæ aut cibi hujusmodi datur semel bisve in die: quantitas autem multum pendet ex copia nutrimenti a matre vel nutrice derivata: infante a lacte depulso, quantitas nutrimenti augetur, dando paullulum jusculi gallinacei, vitulini, &c.

Infantes plerumque, in hac regione saltem, a lacte depulsi sunt circiter ad 7^m vel 12^m mensem: post quod tempus, cibus pro ætate et temperamento dandus; porro, cibus majore ex parte mollis, et facilis masticationis est, donec dentes gingivas perforant.

DE

* Hollandia, Italia, locisque Mediterraneis, nil per primum annum datur nisi lac maternum. Barbaræ Canadenses mammas infantibus admovent usque ad sextum vel septimum annum.

DE SOMNO INFANTUM.

Infantes humani, ut ii aliorum animantium, in somno multum indulgent; etsi autem somnus frequens sit, brevis est et interruptus, et sæpe vagientes, expergiscuntur ex fame vel alia molestia. Omnes infantes multum ad somnum tendunt post pastum. Consuetudo somnum infantibus inducendi, multa agitatione, frequens est, et non nimis reprobari potest.

DE DENTITIONE.

Genus humanum dentes bis in vita mutant. Series prima vel decidua, quæ in numero viginti sunt, apparent fere in ordine sequente: Ad 6^{m} vel 8^{m} mensem duo medii inferiores, incisores*:—ad 7^{m} vel 9^{m} duo superiores:—ad

* Vel Dentes *Lactei* vel Risorii.

ad 8^{m} vel 9^{m} mensem, duo laterales incisores, inferiores;—et paullo post, duo laterales superiores; ad mensem 12^{m} molares* anteriores et inferiores, quos brevi, molares anteriores superiores sequuntur; a mense 16° ad 20^{m} dentes canini † apparent, et a mense 16mo ad 30^{m} molares posteriores. Series prima constat ex numero dentium 20^{i}, viz. 4 molares, 4 incisores, et 2 canini, in maxilla utraque; et plerumque finitur mense 30^{a} ætatis. Hi dentes plerumque ad annum 6^{m} vel 7^{m} decidunt, radicibus eorum absorptis, et in ordine simul quo apparuerunt. Secunda vel ultima series dentium gradatim succedit, quæ fere semper 32° in numero sunt, vel 16^{m} in utraque maxilla, viz. 4 incisores, 2 canini, et 10 molares; in aliquibus exemplis 28 tantum apparent, in his, 4 posteriores molares ‡, desunt.

DE

---

* Vel *genuini*,——Μυλυται, γομφοι, &c.

† *Laniarii*, LINN.

‡ Vel Dentes *Sapientiæ*, vel *Intimi*.

De Formatione Seriei Primæ.

DUM fœtum ad 4^{m} vel 5^{m} mensem post conceptionem spectemus, processus alveolares non bene formatos videmus, sed canalis magnus adest, in quo pulpæ dentium citoformari incipiunt, et in propriis capsulis continentur, et haud absimiles dentibus forma, solum sine radicibus: Hæ capsulæ per vasa, nervosque proprios, ad imas processuum alveolarum connectuntur: et gradatim firmiores et largiores fiunt, donec mensem *sextum*, cum ossificatio primum incipit modo lamellato, ab exteriore ad interiorem partem dentis, et cum parvis punctis ad omnem dentium elevationem. Sic in canino, unum solum punctum apparet; in molare 4 vel 5, &c. eodem modo. Hæc in nonnullis crescunt donec ad basea conjunguntur. Radices dentium postremo formantur; ad partum, 10 externa ossea crusta dentium, in utraque maxilla comperta sunt.

Quamvis dentes, pro maxima parte non ad partum apparent, nihilominus ad hoc exceptiones sunt.

> " The midwife wonder'd, and the women cry'd,
> " O, Jesus bless us, he is born with teeth !"
> " And so I was ; which plainly signified—
> " That I should snarl, and bite, and play the dog."

De Formatione Seriei Secundæ.

Rudimenta quoque horum, ante partum formantur, et circiter annum 6^{m} omnes præter dentes sapientiæ ossificantur : ita, ut bene observatum est a Dre Monro, nunc non minus quam 48 dentes in maxillis extant : prima series apparuerunt ; secunda in maxillis latent ; posteriores molares circiter annum 8^{m} vel 9^{m} formari incipiunt, sed non usque ad annum 20^{m} vel 23^{m} apparent, ab hinc nominantur. Maxillis amplificatis, plures dentium ad eas implendas requiruntur ; quo fit, ut secunda series, primam a 10 vel 12 excedit.

Series

Series secunda, priusquam apparent, in sacculis continentur, qui, ut compertum est a Blake, cum prima serie communicant.

De Encausto.

Hoc externa membrana capsulæ pulpæ secernitur, primum mollissimum, in lapsu temporis tamen durissimum, et simillimum ebori fit, et non secernitur, ut videtur, postquam e capsulis dentes incipiunt emergere; solummodo super partem superiorem, et circa collum dentis, extendit. Cum dentes e capsulis emergunt, et per gingivas erumpunt, membrana encausti, ut etiam capsulæ, gradatim absorbentur, et ita evanescunt.

DE LOQUELA.

Infantes sonos emitterre incipiunt variis temporibus; hoc vero plerumque accidit ad mensem nonum, cum sonos simplices tantum edunt,

edunt, quos, motus et gestus corporis, faciei, et membrorum comitantur; qui varii sunt, ut res oculis admota, vel placet vel displacet. Ad mensem 12^{m} vel 16^{m} monosyllabi eduntur; et versus finem anni 2^{ndi} infantum plurimi verba conjungere incipiunt, atque periodos formare; ex quo gradatim procedunt, donec facultas loquendi perfecta fit.

Loquela infantum autem multum pendet ex curis in eos collatis; nam in familiis quibus tantum unus, vel duo pueruli adsunt, inventum esse eos acquisivisse hanc facultatem multo citius, quam in familiis ubi adsunt "majore "copia."

DE SENSIBUS INTERNIS.

Hi, memoria, imaginatio et judicium sunt; qui sedem in cerebro habent, et hominem aliis animantibus distinguunt.

Hi non juste intra fines hujusmodi tractari possint, ob quam mere mentionem reddam. Hi prima ætate fere nulli sunt, paulatim accedunt

et

et augentur; puerili ætate validissimi fiunt; juvenile et virili vigent, et senili fatiscere solent, donec tandem penitus abolentur.

" *Memoria.*—Dicitur facultas illa, quæ va-
" rias cogitationes præteritas, veluti sensus, per-
" ceptiones, &c. eodem quo fuerant receptæ or-
" dine, ad arbitrium nostrum revocamus, detine-
" mus, contemplamur, dimittimus." Infantes circiter hebdomadam 8^{m} observare incipiunt, et inter matrem, sive nutricem, et inter alios distinguere, hos agnoscentes, illos declinantes. Hæc infantum prima memoria dici potest; quæ gradatim ad annum 5^{m} vel 6^{m} ætatis crescit, cum pueruli memoriam multo magis perfectam habent. Nonnulli tenacissima memoria prediti sunt: in talibus dicitur judicium non firmum esse, sed hoc minime constare videtur. Multa animalia quoque tenacissimam memoriam habent.

Imaginatio.—Hæc " est facultas, qua homo
" varias res, quas memoria recondiderat, ad ar-
" bitrium suum conjungit, dividit, et novo or-
" dine disponit; veluti, si mixtis et composi-
" tis, viri et equi, mulieris et piscis, formis

Centaurum

Centaurum aut Sirenum, sibi finxerit:" Quam pulchre imaginationem cecinit SHAKESPEARE:

"The lunatick, the lover, and the poet,
"Are of imagination all compact:
"One sees more devils than vast hell can hold;
"That is, the madman: the lover, all as frantick,
"Sees HELEN'S beauty in a brow of Egypt:
"The poet's eye, in a fine frenzy rolling,
"Doth glance from heaven to earth, from earth to
"heaven;
"And as imagination bodies forth
"The form of things unknown, the poet's pen
"Turns them to shapes, and gives to airy nothing
"A local habitation and a name.
"Such tricks hath strong imagination;
"That if it would but apprehend some joy,
"It comprehends some bringer of that joy;
"Or, in the night, imagining some fear,
"How easy is a bush supposed a bear?"

Judicium,—

"Without the which we are pictures, or mere beasts."

Hæc, facultas est qua contemplamur, comparamus, et inde nostris variis cogitationibus et perceptionibus, varias conclusiones et similitudines deducimus.

Hæc

Hæc prima ætate nulla est; in puero haud amplius; ad ætatem virilem firmior fit; et senectute ingravescente, iterum debilis fit, enim cum memoria, tunc etiam judicium deficit.

CAP.

CAP. II.

DE PUBERTATE.

Ante hanc periodum, natura solummodo ad nutrimentum et incrementum corporis sollicita videtur; in ætate infantili, nil adfuit quod vexare, vel nocere posset, quoniam nil nobis opus erat, nisi in corpus nutriendo, exercitando, et recreando: Pubertate autem adveniente, curæ vitæ incipiunt, nunc nugæ rejiciendæ, et studio et reflectione animi occupandi sunt.

"When I was a child, I spake as a child, I understood as a child, I thought as a child: but when I became a man, I put away childish things."

Pubertas variis temporibus, diversis regionibus incipit; multo citius autem in fœminis quam in maribus, in omni regione; hoc forsan explicari potest, corporibus virorum multo majoribus, et robustioribus, ossibus et musculis multo

multo durioribus et densioribus, ideoque particulas organicas ad generationem aptas, non in eodem tempore præbeant, ac corpora fœminarum, quæ minores, debiliores, et teneriores sunt, et igitur multo citius ad maturitatem perveniunt.

Hæc periodus ætatis, in calidis regionibus cito supervenit; quo frigidior terra, eo tardior apparet, usque ad regiones arcticas, ubi incolæ serius ad hunc veniunt.

Ita in terris tropicis, ut in Asia, Africa, et America, puellæ ad hanc periodum accedunt ad 9^{m} vel 10^{m} annum ætatis; in partibus Europæ australibus, circiter annum ætatis 12^{m} vel 13^{m}; in terris propius ad Arcton, (e. g. Brittannia) hanc non perveniunt, donec annum ætatis circiter 13^{m} vel 16^{m} compleverunt: In terris frigidis (Laplandia, &c.), hanc sæpe non attingunt donec 18^{m} sive 20^{m} annum.

Totum corpus, pubertate adveniente, magnam revolutionem subit, partesque corporis ante hoc, vix existentes, evolvuntur, amplificantur, et qualitates peculiares assumunt.

Maximæ mutationes cito se ostendunt, et in communes peculiaresque dividi possint. Illorum non minimæ sunt:

1° Plenitudinis et rigoris sensus in regione inguinali, qui magis percipitur vel ad exercitandum, vel postea;

2° Sensus debilitatis in articulationibus majoribus;

3° Vox quoque mutationem subit; in maribus ex sono rauco et inæquali, gravis fit; in fœminis hæcce mutatio non tam insignis est, nam in his vox semper fere stridula et magis acuta est;

4° Crines in diversis corporis partibus nunc apparent, nempe in axilla, et in pubem.

Ex mutationibus peculiaribus, in Mare, insigniores sunt:

1° Barba; hæc vero incolis aliquarum gentium, omnino abest, necnon multis in omni gente;

2° Crines in pectus;

3° Crines in latera faciei; et

4° Magnum penis incrementum,

"Mentula

"Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile na-
"sus:
"Ut possis, quoties arrigis, olfacere *."

et etiam testium, quæ nunc semen se cernunt.

In Fœmina, notandæ sunt:

1° Evolutio partium glandulosarum, et incrementum substantiæ cellularis, quæ mammas largiores et magis prominentes reddunt: Hæ in diversis fœminis, quoad magnitudinem, multum variant, in aliis non magnæ sunt, in aliis majores, dum in barbaris gentibus, ubi fœminæ dependere sinunt, enormes fiunt;

2° Expansio uteri, qui nunc formam adultam assumat, vel ex figura prope rotunda, pyriformis fit;

3° Dilatatio vaginæ;

4° Tumefactio montis Veneris; et

5 Extensio pelvis.

Hæ mutationes omnes valde insignes sunt, duæ autem quæ præcipue notitia dignæ videntur, sunt,

I. Facultas speciem propagandi; et

II. Fluxus menstrualis in fœminino sexu.

DE

* Martial, Lib. vi. Epigramm. 36.

I. FACULTAS PROPAGANDI.

"Noctes atque dies patet atri janua Ditis."

Hæc est facultas communis, scilicet vires et maris, et fœminæ requirens; in viro fluidum seminale necessarium est ad propagationem, dum in fœmina, ovaria æque necessaria sunt.

Ad fluidum seminale in viro formandum, mirissimus, et maxime complicatus organorum apparatus, completur.

Hæc secretio duplex est, utrumque corporis latus apparatum ei aptatum habens; itaque singulorum notitia prompte deducenda sit ex descriptione unius, qui sic peragitur.

Arteria *Spermatica*, ex parte *aortæ* anteriore originem ducens, paullo infra originem arteriæ *Renalis*, musculum *Psoan*, et *Ureterum* transit, et pone *Pæritoneum* descendit, ad partem abdominis inferiorem, ubi annulum *Obliqui Externi* perforat, et in *Fune Spermatica* ad testem progreditur; post transitionem per annulum *obliqui externi* in ramos dividit, qui ad partem *Testis* posteriorem vadunt; minores, in *Epidymimem*

Epidydimem distributi; majores, substantiam *testis* ineuntes, ibi dividunt, et in ramulis innumeris et fere invisibilibus, in tubos seminiferos * distribuuntur.

Ex his tubis, semen ad *Rete Testis* advehitur quod *vasa efferentia*, in numero a 12m ad 18m emittit, quæ convoluta, fasciculos conicæ quasi figuræ formant, vel *conios vasculosos*: hi, per substantiam cellularem inter sese alligantur, et a MONRO dicuntur circiter *trientem epidydimidis* efficere: ubi se jungunt et tubum *vas deferens* vocatum formant, cui semen tradunt, quod tunc ad *vesiculam seminalem* defertur.

Hæc inter intestinum curvum (olim *rectum* vocatum), et partem inferiorem et lateralem *vesicæ* urinæ sita est, in ea, semen accumulatur,

---

* Hi tubuli, ad accuratissima experimenta a nuper mortuo celeberrimo MONRO, et Edinæ et Berolini facta, vacui, $\frac{1}{200}$m partem pollicis diametro non excedunt; et mercurio distenti, etiam tunc non $\frac{1}{120}$m partem pollicis: quos ad conjecturam numeravit circiter 62,500, et singulos unam pollicem longos, æstimans, tubus, si conjungerenter, 5208 pedes et 4 pollices longum posset formari.

mulatur, et "*pro re nata*"—emittitur per ductum parvum, qui per glandulam *prostatam* oblique transit, et in initio *urethræ* ad latus capitis *Gallinaginis* finitur.

E glandula prostata (quæ statim sub finem inferiorem *symphisis pubis* situm habet, et in intestinum curvum restat, et quæ initium urethræ amplectitur), 10^{m} vel 12^{m} parvi ductus originem ducunt, qui initium urethræ intrant, et liquorem, qui ad generationem necessarius habetur, secernunt.

Expulsio hujusce liquoris ex iisdem causis, et ad idem tempus, ac illa seminis, accidit.

Defectus Propagandi in Mare.

Ex causis, quæ huic facultati in mare obstant, notandæ sunt:

1° Morbi;

2° Malconformationes; et

3° Debilitas generalis.

Morbi, idoneis remediis curari possint.

Malconformationes, cum magnæ sint, facultatem omnino impediunt; earum, præcipuæ sunt:

1°

1. Conformatio testium prava;

2. Directio vitiosa orificii urethræ;

3. Musculi *erectores* penis actionem non æqualiter perficientes; hæc, si non maximum est, facultatem generandi nil lædit, ut semper fere, unus vel alter horum musculorum plus quam opponens virium possidet;

4. Adhæsio præputii ad frænum; et

5. Vel quod pejus est, secretio seminis vitiosa.

Debilitas, hæc a Venere immodica, vel ex crebris noctu seminis emissionibus, somniis obscænis inductis, oriri possit.

> "Hic ego mendacem, stultissimus usque puellam,
> "Ad mediam noctem expecto: somnus tamen au-
> "fert
> "Intentum Veneri: tunc immundo somnia visu
> "Nocturnam vestem maculant, ventremque supi-
> "num *;"

Denique 6°, vel pessime omnium, "Turpi usu partium."

Cælibatus,

* Hor. *Sat.* 5. Lib. 1.

Cælibatus, si obstinate continuetur, quamvis *defectus voluntarius*, hanc facultatem nobilem debilitat, si non, penitus delebit. Castitatem, dicit Buffon, virtutem non difficilem esse, et continentiam minus, quam excessum metuendam esse, quamvis illos æque judicarem malos: sed hæc opinio, aliquos ejus familiarum *fortasse* induxisset, annos viginti quinque, vel triginta habere, priusquam in grata Veneris prælia, ad cupidinem satiandam coacti erant; cujus interpretationem hoc esse judicarem, (si Gallis constitutiones eædem *tunc* fuerant, ut *nunc* dubitare quod, non nos decet); ut illam ætatem compleverint, antequam illis idoneum videbatur, *peccata ei confiteri*, talia roganti, sed profecto, si *vere dicebant*, in amphibiarum, vel *frigido sanguine*, animalium ordine collocarentur.

Etiamsi igitur, continentia mala, excessus æque vitandus sit, cujus, miserias quotidie videmus; Eheu! nimis frequenter, cum homines conspiciamus, animis perturbatis, constitutionibus læsis, corporibus morbosis, et quorum partes propriis functionibus deprivatas.

Itaque,

Itaque, si ab aliquo consultus, Poëtam Romanum jungerem dicendo,

"Auream quisquis mediocritatem
"Diligit, tutus caret obsoleti
"Sordibus tecti *."

Extremis semper periculosis.

Partium generandi, et earum defectuum in mare mentione facta, nunc pauca de iis fœminarum reddam.

In fœmina, generationis partes in Externas, et Internas dividuntur. Externæ sunt:

1. Labia Pudenda;
2. Nymphæ;
3. Clitoris.

Internæ sunt:

1. *Vagina:* hæc, ut bene cognitum est, canalis musculo-membranosa est, quæ a pudendo, ad os *tincæ* extendit; quoad capacitatem, hæcce canalis ad magnitudinem penis se accommodat.

E "Qu'il

* Horatius.

"Qu'il se proportionne de soi-même, et s'accommode facilement à toutes les especes de verges, de quelque petitesse ou grosseur, et de quelque longeur et figure qu'elles puissent être * ."

In fœminis autem,

"Qui usent tres souvent du coit,"

hæc canalis valde flaccida et relaxata fit; multum etiam relaxatur frequente parturitione.

Ad orificium ejus, in statu intacto, circulus membranosus adest, *Hymen* vocatus, quo rupto, carunculæ myrtiformes formantur.

Hic, certum virginitatis signum existimatus fuit; minime autem ita habendus est.

2. *Uterus*, et ejus appendices, constantes ex *Ligamentis Rotundis*, quæ ad angulos uteri superiores origines ducunt, et per annulum abdominalem transeuntes, in partes pudendi superiores et laterales, gradatim invisa fiunt: et ex *Ligamentis Latis*; hæ ex lateribus uteri, et parte vaginæ posteriore orientes, in *Pelvis* latera inseruntur, quam, in partem anteriorem et posteriorem

* Mauriceau, tom. i. p. 37.

posteriorem separant; in duas alas vel piniones divisæ sunt, quæ ad latera fundi uteri vasa, nervosque includunt.

Horum ligamentorum, alæ posteriores, *Ovaria*, sive *Testes Muliebres*, continent: duo corpora rotundo-ovalia, quæ cum maturæ, magis, vel circiter dimidium testis *maris* sunt. Hæc corpora etiam per duas parvas chordas *Ligamenta Rotunda Ovariorum* dictas, ad uterum connectuntur.

Ovaria plerumque in specie humana a 10m ad 20i ova, vel vesiculas limpidas fluido instar albuminis completas, continent, quæ rudimenta *Fœtus* continent. Ova, ab his, per tubos *Fallopianos*, quæ in ligamentis latis etiam includuntur, ad uterum deferuntur, cum quo, per orem minutissimum communicant.

Tubi Fallopiani, *auram*, vel quasi vitalem seminis partem ad ovaria deferre existimantur, quæ extremitatibus *fimbriatis* amplectuntur, et ovum maxime perfectum prehendunt, quod in uterum vehunt.

Porro, observandum est, ovum, quandocunque sic ovario defertur, semper parvulam depressionem

depressionem *Corpus Luteum* dictum, suo loco relinquere, et hoc *indubitabile* signum est, quo judicamus quoties fœmina impregnata fuit.

Hæ igitur partes sunt, quæ in fœmina ad generandum conducunt: sterilitas, ex vitio *fœminæ*, æque ac *maris* oriatur, et etiam in causas Externas et Internas dividi possit.

Externarum, præcipuæ sunt:

1. Labiorum Incrementum;

2. Nympharum incrementum, elongatio frequentissima est; Africæ, prope Spei Bonæ Promontorium, huic valde obnoxiæ sunt. *Venus*, illius regionis, nuper Lutetiæ secta, (ubi abhinc circiter duos annos e vita excessit), exemplum insigne præbuit, tabulam cujus, cum historia, Dr Monro nuper amicissime exhibuit.

"The females, among the Bosjesmans, have the "nymphæ sometimes five inches long; their colour is of "a livid blue, like the excrescence of a turkey *."

In

* Barrow's *Travels in Africa*, vol. i. p. 279.

In nonnullis exemplis, coitum prope penitus prohibent; in aliquibus regionibus, nymphæ, una cum præputio clitoridis, in ætate infantili circumcisæ sunt:

"At Kahira, the women who perform this operation, are as well known as midwives*."

3. Clitoridis incrementum: hæc est malconformatio huic corpori frequentissimà:

"Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis:
"At Tu (pro facinus) Bassa fututor eras.
"Inter se geminos audes committere cunnos,
"Mentiturque virum prodigiosa Venus †."

Simmons, Mancunii, clitoridem amputavit, 9^{m} pollices longam a 14^{m} ad maximam finem in diametro; culmus in diametro erat 5 pollices.

Dum mentionem partium adjacentium reddam, non inutile sit, de fœminea urethra pauca dicere, etiamsi, non ut in mare, ad generandum necessaria est. Hæc sita est circiter pollicem

---

* Niebuhr's *Travels,* vol. ii. p. 250.

† Martial, Lib. i. p. 91.

pollicem infra clitoridem, et ad vaginæ initium, et longa est circiter octavam pedis partem; intus, defensa ut in mare cum lacunis mucosis, hæc canalis, aperturam maximam habens pro magnitudine, et ut perbrevis est, urinam in fœminis expelli rivo fortiore quam in mare facit:

" Ce qui fait, qu'elles pissent fort gros.'

4. De Hymene. Hic præter naturam induratus sit, ita ut non rumpi possit; si hoc accideret, multæ variæ secretiones pone id accumularentur, quo, multi alii morbi suspicari possent.

In exemplo hujusmodi, urinæ suppressionem referente, BENEVOLI *catheteri* introducto, hymen laceravit, cum, ad magnam ejus perturbationem, 32æ libræ materiei coloris subnigri evacuatæ erant.

WARNER exemplum narrat, ubi dimidium orificii urethræ quoque operiit: in hoc, lapidem in vesica adesse, suspicatum erat, causa tamen cognita, patiens, puella, levata erat eo perforando.

Multæ non minus mira exempla restant.

" Aut

"Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ,
"Aut sulcos uteri prodere nuda times;
"Aut infinito lacerum patet inguen hiatu:
"Aut aliquid cunni prominet ore tui.
"Sed nihil est horum, credo pulcherrima nuda
"es *."

His saltem absentibus, Poëta Romana formam Laufeia existere sinit.

Causarum *Internarum* præcipuæ sunt:

1. Uteri malconformationes, vel morbi in eo existentes.

1° Uterus vel opertus semper remanere possit:

"Mais ce n'est pas assez que la verge de l'homme "soit logée dans la *vagina,* qui est comme l'antichambre "de la matrice; car venant en l'action du coït à frapper "à sa porte, qui est l'orifice interne, si elle ne lui est "ouverte, c'est peine perdue, ou un plaisir inutile †."

2° Vel semper apertus:

"Tria sunt insaturabilia; infernus, os vulvæ, et "terra ‡."

3°

* MARTIAL, Lib. iii. p. 72.

† MAURICEAU, tom. i. p. 56.

‡ *Proverb.* cap. xxx. v. 16.

3° Status ovariorum perturbatus, (plerumque hydropicus):

4° Fallopii tuborum obstructio:

5° Vaginæ malconformationes;

Hic canalis impervius sit:

"In Africa they sow up the vagina with the fibres "of asbestus, &c. to prevent coition, generally from the "eleventh to the twelfth year *."

Vel perbrevis:

"Morgagni was consulted by a barren woman, "whose vagina was only a third part of the usual "length, and its termination felt firm and fleshy. He "advised a dissolution of the marriage."

Vel contractus:

"Qu'il ne peut pas donner entrée au membre viril †."

Vel ad orificium clausus sit:

Vel septo-membranoso dividi possit, quo duplex fit.

Si

* Brown's *Travels*, p. 349.

† Mauriceau.

Si sterilitas tunc, in causis externis pendet, cito detecta erit; quod si, ex causis internis, invenienda sæpe non est, multo minus curanda.

Organorum, in mare mentione facta, pauca de celibatu dicebam. In fœminis, præcipua "*mala pestis*," quæ hunc statum despicabilem sequitur, *Furor Uterinus* est, a nostro nuper celeberrimo CULLEN:

"In fœminis effræne desiderium Veneris,"

definitus.

Hic morbus species insaniæ est, quæ eas modestate, decore, et pudore denudat; ornamenta quæ earum sexum distinguunt, ex quo gestus maxime indecoros facere, et verba obscœnisima edere, impelluntur:

"J'ai vû," dicit BUFFON, "et je l'ai vû comme
" un phénomène, une fille de douze ans très-brune, d'un
" teint vif et fort coloré, d'une petite taille, mais déjà
" formée avec de la gorge et de l'embonpoint, faire les
" actions les plus indêcentes au seul aspect d'un homme;
" rien n'étoit capable de l'en empêcher, ni la presence de
" sa mère, ni les remonstrances, ni les châtimens; elle
" ne perdoit cependant pas la raison, et son accès, qui
" étoit marqué au point d'en être affreux, cessoit dans le
" moment qu'elle demeuroit seule avec des femmes."

 Insignissimus

Insignissimus ARISTOTELES, dicit annum 12m vitæ periodum esse cum hic morbus ad summum est; ille vitam degit in regione Græciæ temperata, vixeratne in regione hujus instar, fortasse annos sex vel octo addidisset, hanc libidinis ætatem in puellis designare.

Sed hanc libidinem ad gradum supra dictum incitare, et colloquiis impurissimis, et similitudinibus obscœnissimis, uti oportebit; ob quam rarissime aut nunquam nisi in inferioribus vitæ ordinibus occurrint; hæc, fœminas in superioribus parum tangens.

Varias hominum species, non est in animo notare; nihilominus observare possim, ut in Eunuchis sive Castratis *, et in fœminis e quibus ovaria exsecta fuere, systemata mutare videantur. Ita in homine: hac consuetudine crudeli,

* Horum species diversæ sunt: nonnullis solum una, vel ambæ testes; dum aliis, partes omnes desunt. Hi, non rari sunt; illi, rarissimi, et itaque multo magis pretiosi ob difficultatem magnam vitæ post incisionem servandæ. Si miserus plures quam annos 15m compleverit, nihil nisi mors certa instat.

crudeli, barba evanescit; cutis mollis et flaccidus fit; mammæ turgent; vox, ex gravi, acuta fit; et multæ aliæ præterea, quæ etiam ad hancce diem videri possint, *e. g.* in Italia, ubi, hanc fœdam et immanem pro voce sola exercent *. In fœmina, mammæ subsident; musculi firmiores, et magis compacti fiunt; et menses fluere desinunt.

Quamvis hanc esse ætatem generandi dixi, utcunque etiam ante pubertatem in nonnullis raris exemplis audivimus, pueros ad hanc aptos esse, usque ad annum 9^{m} vel 10^{m} ætatis. Hos autem credo existimandos esse "*raras aves*

---

* "Castration was the punishment of adultery among "the Egyptians."

"In Persia this is inflicted for rapes, and such like "crimes; and Pietro Della Valle asserts that the wound "heals easily; and at any time of life." Quamvis hæc haud simillima est.

"In many parts of Africa this is a very general cus- "tom."

"In the East Indies this practice is general." "Ta- "vernier says, when he was in the kingdom of Golconda "in the year 1657, 2200 males were castrated."

aves in terris," enim antequam semen ad generandum aptum, secerni possit, necessarium est, ut corpus firmius et robustius, quam ad hanc ætatem unquam sit.

" Florente ætate, et virili, homines ad venerem optime valent. Prima senectute apti adhuc, sed pigriores ad *Veneris prælia*. Summa vero senectute Venus aut nulla est, aut sterilis. Magna autem de his rebus hominum differentia: decantatur enim exempla senum, in castris Veneris strenuissime merentium, postquam centos annos compleverant; neque sane dubium, aut adeo rarum, octogenarium patrem fieri."

II. DE MENSIBUS.

SECUNDA magna mutatio quam pubertas adfert, est rivus *Mensium* in fœminis; hæc est secretio periodica quæ in mensem* accidit, hinc nomen habet: et dum hæc liberatio adsit,

---

* Quamvis hoc tempus commune est, nonnullis quemque diem 14m; aliis tantum quemque diem 42m vel 44m accidit.

sit, fœmina dicitur non se bene habere, aut ex ordine.

Multæ sensationes injucundæ seu symptomata sunt, quæ hunc plerumque præcedunt, et paucis primis temporibus se multo magis, quam postea ostendunt.

Corpus, ut videtur, magis ad accessum hujus mutationis perturbatur, quam per ejus continuationem; maxima horum sunt:

Dolor in regione *ventriculi*, *dorsi*, *intestinorum*, necnon pelvis; sæpe pulsus *celer*, cutis *arida*, et nausea; paulo post, ex vagina, secretio rubri, vel potius subrubri coloris, qualitate haud sero absimilis, advenit; utcunque non sanguinea est, per aliquot tempora.

Fluxu perdurante, pejora horum paulatim abeunt; attamen, debilitas plerumque magis minusve remanet, ut etiam circulus circa oculum subcœruleus; post aliquot tempora, fere omnia horum, præter dolorem dorsi, et nauseam, abeunt, quæ in nonnullis semper revertunt.

Systema

Systema nervosum sæpe nunc maxime irritabile fit; et vacillationes convulsivæ huic succedunt.

Ventriculus, consensu sæpe permultum afficitur, nausea et vomitu; eruptiones interdum in cutem apparent, *e. g.* Urticaria, &c. has, dolor capitis, calor corporis, et haud raro mentis aberratio, prænunciant.

Hæ per noctem erumpunt, et plerumque subito: a quibus fœmina non raro valde perterrita est, et multum et disjuncte loquitur.

Hæ prope omnes injucundæ sensationes sunt, quæ mensium fluxum præcedunt: ex quibus, cito observatum fuerit, ut omnia excitantia, nimirum, animi motiones perturbantes; expositio frigori; triclinia calida; conventus turbati; saltatio; fatigatio omnis; cibi conditi, seu fastidiosi; fructus frigidi (*melones, mala Persica*, et *præcoqua*, &c.); potus inhilarantes; et omnia talia, stricte evitanda sint, et ita fluxum bonum exitum habebit.

De initio, quantitate, et cessatione hujus fluxus, nunc pauca dicam.

In

1. De Initio:

Menses variis vitæ temporibus apparent, pro regione qua fœmina vitam degit: Ita in regionibus *Asiaticis*, ad ætatem admodum maturam apparent, aut ad annum 9^m^; in regionibus temperatis, sicut in *Europa*, circitur annum 13^m^ vel 16^m^; ita ut in *hac*; dum magis ad *Arcton*, sive in frigidis regionibus, non donec annum 18^m^ vel 20^m^ apparent.

2. De Quantitate:

Quantitas hujus iisdem causis ut initium differt; multum quoque ab ætate, temperamento, habitu corporis, regimine, exercitatione, tempore anni, multisque aliis causis, differt.

In calidis regionibus, fœminæ menses, valde copiosas habent (quamvis huic exceptiones sint).

In *India Orientali*, nonnunquam usque ad ℥viij vel ℥xii.

Etiam eæ fœminæ quæ (sicut Helluones) luxuriose, aut eæ quæ vitam in tricliniis calidis vitam degunt, menses copiosas habent.

Quædam

Quædam occupationes quoque menses copiose fluere faciunt, et hujusmodi exemplum haud raro in *ancillis culinariis* occurrit; mulieres tales ad magnos calores valde expositæ, aut a magnis ignibus apertis, vel pessume omnium, magnis caloribus opertis, sicut eæ a *clibanis, furnis,* et similibus orientes: quamvis duas tales vidi quæ mensibus per complures periodos caruerunt.

In Europa, id est, in regionibus temperatis, circiter ℥iv. ad ℥viij, in tempus liberantur; dum in terris frigidioribus, hic fluxus multa minore quantitate adest. Nusquam attamen, hæc subito et repente expellitur, plerumque per spatium quatuor vel quinque dierum gradatim stillicidat.

3. De Cessatione.

Menses apparere desinunt, in Tropicis regionibus, circiter annum 28^{m} vel 30^{m} ætatis: muliere postea non amplius juvene, sed senescente. In regionibus subcalidis, hæc pergit ad annum plerumque 45^{m} (in talibus circiter an-

nos

nos 30^{a} permanens), dum in regionibus frigidis pergit usque ad annum 55^{m} ætatis *.

Fluxus mensium antequam cessat, fere parcus et irregularis fit: ita ut fœminæ imaginationum fertilium haud raro se esse gravidas credunt.

In talibus, fœminæ non contradicendæ, sed potius hortandæ sunt; enim et anus, et matres venerandæ, se esse gravidas, quam senectutem ineuntem, multo citius crederent; dum Harvei viduæ sterilis instar,

"Omnis spes in flatum et pinguedinem facesserit."

Dolor in uteri regione, nausea, et ad vomendum proclivitas, nec non cibi fastidium, cessationem et mensium obstructionem præcedunt.

Abdomen etiam citius, et magis inæquali-

G ter

* Schenkius, inter alia *mirabilia* exemplum narrat, de muliere, quæ fluxum menstrualem usque ad annum 103m ætatis habuit; utcunque post annum 55m nullus fluxus naturalis est, et igitur, nullus post hanc periodum hoc nomen meretur.

ter quam in graviditate tumet: *quod solum,* duos status abundanter distinguit.

Etiam nullus motus, nisi ex vento est.

Mensium cessatio vitæ fœminarum tempus periculosum recte dicitur: enim si hac ætate, ullum ad morbum propensio sit, fere nunc, *si non semper*, erumpit; præsertim si in *mamma, utero,* vel *jecore* sit, et cui, si *possit curari* remedia propria adhibenda sunt.

Morbus, si *hoc nomen* meretur, frequens, sed non periculosus, sæpe nunc adest, Dyspepsia; et fortasse, ex mutatione magna quam nunc systema subit.

Compluribus tamen exemplis, ad hujus fluxus cessationem, fœminæ obesæ fiunt, et meliore valetudine, quam ad aliud quodcunque tempus fruuntur, si obesitas non multum ingravescit. Nonnullæ sollicitæ et timentes, ne menses cessent, illas protrahere tentaverunt; hoc vero non tentandum est, nam medicamentorum multorum adhibitio systema magnopere irritare et lædere possit, quod forsan sanum remanisset, si hæc non essent adhibitæ.

Porro,

Porro, semper in memoria tenendum est, quodcunque natura statuit, arte non obstandum esse.

Ita, lex naturæ videtur, quoad hujus fluxus initium, quantitatem, et cessationem, quo calidior regio, eo citius apparet, copiosius fluit, et citius cessat.

Nunc solum pauca de *origine*, *usu*, *causa*, et *analysi* mensium dicere restat.

1. De Origine.

Ex arteriis uterinis sanguis menstrualis effunditur.

2. De Usu.

Hic fluxus plerumque utilis impregnationi, et conceptioni, existimatus fuit;

"The use of menstruation seems to be, to preserve "the womb in a fit state for impregnation *."

"Ces menstrües sont principalement destinées de la "nature, pour servir de matiere à la generation de l'en- "fant, et à sa nourriture durant qu'il est au ventre de "la mere †."

Hic

* Burns's *Midwifery*, Lond. 1814, p. 109.
† Mauriceau, Par. 1721, Tom. i. p. 49. 4to.

Hic fluxus utilis alio modo habetur, quamvis hoc non certum est:

"Et par accident, à repurger toute l'habitude du "corps de la femme, de la superfluité du sang en d'au- "tres temps *."

Argumentum autem potentissimum mihi apparet, parturitionem *intra* fines periodi mensium in fœminis semper tenendum esse.

Celeberrimus noster in arte obstetrica HAMILTON, exemplum memorat, ubi conceptio hunc fluxum antecedisse existimata erat; puella autem, *fortasse pro valetudine*, in rus abeunte, ante exitum, plus informationis haud obtineri posset.

3. De Causa.

Multæ diversæ causæ adventui hujus fluxus datæ sunt; scholæ annitissimæ philosophi, usque ad *Lunam* iter fecerunt, ad causam ibi inveniendum, et inter cæteros ARISTOTELES, qui credit,

"Que la lune à une grand domination sur tous les "corps humides, comme est celui de la femme †."

"Luna

* MAURICEAU.

† Id. Lib.

"Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat. *"

Alia schola, quæ ad illud tempus fortasse putabat de *fermentatione vinosa*, hunc ad sanguinis fermentationem imputavit; alii ad vitam fœminarum sedentariam, ex qua, sine hoc fluxu, sanguinem quem natura dedit, consumere non possent.

Itaque natura hunc, vertente mense, fluere facit ex genitalibus, ex tanta abundantia liberare;—dum, opinio recentior et moderatior esse videtur, hunc ex actione uteri secernente oriri.

4. De Analysi.

Hæc secretio analysi subjecta est a Domino Brande, qui invenit multum referre partem sanguini rubram, in *sero* diluto.

Fluxus menstrualis morbis nonnullis obnoxius est; præcipui sunt:

1. Ammenorrhœa,

Quæ dividitur in

(1.) Retentionem sive Emansionem, et

(2.) Suppressionem Mensium.

2. Dys-

---

* Virgilius.

2. Dysmennorrhœa,
   Sive fluxus menstrualis cum dolore.
3. Et Menorrhagia,
   Sive fluxus mensium immodicus.

FINIS.